

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

LXVIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

sint res à te Argentinae relictae. Sciebam enim, te majore gaudio reverfurum domum & victurum foris apud tuos, si diutius abesses. Sturmius enim, quem metuebas, ita sese cum collegis tuis conjunxit, ut fateri cogamur, non humani hoc consilii esse, sed divinae dispositionis. Quod verò ad Illyricum attinet, non responderis expectationi tuae. Nam astute arripit ex Disputatione habita & contra meam voluntatem invertit, quae videntur ipsius errori patrocinari. Quae causa est, ut me statim ad scripti illius compositionem paraverim. Quod si voluerit frugi esse, & veritati cedere, bene est, sin minus, intelligetis vos, quid vestri sit futuri officii, contra perturbatorem & Scholae & Ecclesiae Vestrae. Ego quidem nihil affectibus dabo, sed negotium ipsum plenissime proponam, & per me licebit deinceps etiam evulgari, si opus esset. Praesertim si compertum haberimus, eum suas nugas spargere; Id quod in urbe filium ipsius facere audio. Est omnino ingratus hospes, neque usquam ullibi fuit, ubi nulla post se certamina reliquit. Id quod Argentinae procul dubio factum fuisset, nisi Dominus & scholae & Ecclesiae vestrae favisset. Ac ne porro faciat, diligenter cavendum vobis erit. Praestitisti tu ei plus quam paterna officia, sed vides, quam gratiam tibi referat, & universo Ministerio. Verum ne deficiamus benefacere, ut maximè sint nobis quam plurimi ingrati. Expertus sum ego quoque plurimorum perfidiam. Et nihil omittam eorum, quae videbuntur facere ad illius emendationem, ut si velit, maneat noster, & commune institutum non perturbet. Literas quas mitto, cuperem, ut mihi per hunc adolescentem remittas. Illius Epistolam ad ministerium mittere non potui, quoniam ea mihi opus est. Si necessarium fuerit, non recuso denuo agere, quae tu judicaveris salutaria. Bene & feliciter vale & Lindaviensem Neccarum corrige. Raptim Eslingae, 4. Septembris, 1571.

*tuus ex animo frater*

Jacobus Andreae.

LXVIII.

S Tardior sum respondendo, suavissime Dn. Erasme, sed tabelliariorum id factum est inopia, non mea voluntate. Et nunc etiam non possum, quae vellem, omnia perscribere; festinat enim tabellarius. Sed breviter. Ago gratias D. Doctori pro sua de rebus meis paterna sollicitudine, tibi pro solito erga me studio, Dn. D. Sulcero pro praecleara in me voluntate, Decano & Facultati Artium Academiae vestrae pro benevolentia. Conditiones, quas ferunt, aequae sunt, itaque lubens subscribo. Velim autem te & M. Philippum, quibus Academia vestra cognita est, deliberare de argumento Orationis à me ha-

bendæ. Si non superbum videbitur, data optione inter duo, utrunque jungere: sanè & declamarem, & disputarem. Sed de eo vestram expecto sententiam. Literas, quas Huberto per famulum miseram, nondum pervestigavi; sed nescio, an de Huberti fide dubitandum mihi sit, an de famuli perfidia. Cum quid constituero, serio rem agam, non enim patiar, ut planè intercederint. Famulus sanè per absentiam D. Doctoris, ut antehac semper, superbe multa, protervè omnia insolenterque facit. Diligenter me excusabis Dn. D. Sulcero, cui nec ante hac scripsi, quod qua de re potissimum scriberem, non occurrebat, neque nunc à te invitatus literas mitto, tamen accepto beneficio; quod tabellarius, ut dixi, festinabat. Piscator interea nihil tentavit, sed intellexi, me mea spe non frustratum, hoc est, silentio meo ipsum tantum non confici. Heri cognovimus, Dn. Doctorem rectè valere, & ad diem Mercurii proximum reditum ejus expectamus. Sed brevi, ut spero, plura coram. De hospitio statuam communicato cum Dn. Doctore consilio. Vale in DOMINO, Argentorato, XV. Septembr. 71.

Tuus in DOMINO frater

Johannes Pappus.

LXIX.

*Salutem in Domino.*

**E** Adem hora cognovimus, Dn. Doctorem ante paucos dies Memmingæ rectè valuisse, & te Friburgo domum rediisse, quod ut rectè curata maxilla tua factum sit, DEUM precor. Ego tamen ante adventum Dn. Doctoris non me possum instruere ad aliquam Philosophicam συζήτησιν; scis enim, ἢ μὴ ἀφιλόσοφος ἦσθε, à quodam mihi objectum, tamen cum primum potero, ad vos advolabo. Non quod dignissimum me esse putem Magisterio Philosophico: scis enim iterum, quid in hoc nomine ἰδῆται, qui nunc in suo Northemiano Sturmino rusticatur, requirat; sed qualiscunque doctrinæ testimonium publicum libenter accepturus sim. Quo nomine me hero, vobis, Dn. D. Sulcero, Decano & Facultati artium, obstringi facile patior. VI. Septembr. phthisi extinctus est in prædicatorum Collegio Wilh. Pommer, is cui Dn. Bruno p. m. infensus erat propter Schedam. Funus curaturi eramus sub ejus diei vesperam, quod mane hora 6. ille obiisset. Sed Wisemanno, cui nihil placet, nisi quod ipse facit, hoc cum non placeret, re ad visitatores delata, jubentibus illis ἀπονευστικῶς dilatum est funus in diem sequentem, magna cum indignati-